

QK.317

v. Ponickau X 8034

Z c  
2473

# ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ

consecratum

## CLARISSIMO IUVENE

NI, PIETATE, ERVDITIONE, SAPI-  
entia, rerum multarum experientia & generis no-

bilitate præstantis, IOHANNI HENRICO à KRO-  
STOWITZ, Germanicæ quondam nationis

Patauiæ Consiliario dignis.

Sponso,

&

## NOBILITATE STEMMATIS,

PIETATE, FORMA ET MORVM ELE-  
gantia ornatiss. Virginis SIBYLLÆ, nobilissimi, Doctissi-

mi, consultissimi & omnium virtutum ornamentis excellen-

tiss. viri ERNESTI à PONIKA, Electoralis Lipsien-

sis Curie præsidis laudatissimi, filie,

Sponsæ,

*Ad XXVI. Aprilis, Anno 1596.*



LIPSIÆ, Zacharias Berwald excudebat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)

1596





VOTVM PRO SPONSO.  
Psalm, CXXIX.

Der Herr segne dich aus Zion / das du sehest  
das glück Jerusalem dein lebenslang / vnd sehest  
deiner Kinder Kinder / etc.



VOTVM PRO SPONSA.  
Genes. XXIII.

Wachse in viel tausend Glied / vnd dein Same bes  
sitze die Thor seiner Feinde.





Ristia sidereo discedant nubila coelo  
Imperio premat Hippotades, & carcere clausos  
Contineat, rabido stridentes murmure ventos,  
Nec gelidas Auster fundat præfrigidus undas,  
Nec Boreas niueo velamine vestiât agros,  
Sed iubar astrifero, formosum, Phœbus ab axe  
Spargens purpureo collustret lumine terras:  
Omnia sint operata iocis expertia luctus.  
Tibia, tibicines adsint, citharæq; reſertor  
Arcas, & humanas quæ dat chelys enthea mentes,  
Claris vt sponſis lætum Pæana canamus.  
Tu quoq; contextâ Phœbe, auro & veste superbâ,  
Siue habitas Delum, Parnassum siue frequentas,  
Finge comas, presso, formosas, pollice, sacram  
Tange chelyn digitis & eburno pectine, festum  
Læticiæ vt docili modulemur gutture carmen.  
Vos quoq; Pierides, vatum macra numina, Musæ;  
Siue Aganippæi salientis fontis ad undas,  
Siue in frondosis Heliconis luditis aruis,  
Seu iuga calcatis Pimplæi florida montis,  
Verrite humum Tyriosaturata, murice, veste,  
Et vincite caput lauro Parnasside flauum,  
Distinctamq; lyram gemmis & dentibus Indis  
Læua manus teneat, teneat manus altera plectrum,  
Dulcisonas dulci, voces inflectite cantu,  
Et tenero resonas impellite pollice chordas,  
Lætâq; facundo deducite carmina plectro.  
Arx formosa iacet rapidis vbi MVLDA procellis  
Verberat, & tumidis GRIMAM circum fremit undis,  
Festa parantur ibi thalami solennia sponſis  
Nobilibus, sonitu cytharæ domus ampla resultat,  
Ornata aulæis fulgentibus omnia lucent,  
Fusaq; contectas humectant balsama mensas,  
Terra etiam conspersa suum tenet ornamentum;



Namq; gerit varios flores, vaccinia, calthas,  
Fila croci, rutam, nardiq; virentis aristas,  
Omnia læticiæ sunt dedita & omnia sponsis.  
Et iam clarus adest, quem expectant omnia, sponsus,  
GRIMA pande fores, age GRIMA limina pande,  
Et portas resera; nam non Babylonia venit.  
Pellex, aut sæuus regni præfectus Iberi,  
Sed petit ingressum Musarum dotibus heros  
Diues, & illustris, prognatus stemmate gentis,  
Addo, quod Ausoniæ miranda peritia linguæ  
Commendat iuuenem, nec non prudentia iuris.  
Ingredere, excellens, fatis felicibus, heros,  
Quis vetet ingressum? quis non admittat in urbem,  
Dignum laude virum? quis non, nisi mentis egenus  
Excipiet dulcem Musarum, lætus, alumnum?  
Nam tu (quod memori seruant in pectore Musæ)  
Non socium addebas viridi, te, in flore iuuentæ,  
Illis, quis gelidus circum præcordia sanguis  
Obstitit ingenio, quos docto à fonte Camœnæ  
Et Pallas Phœbusq; fugant, quos lumine toruo  
Aspicit infauo volucer Tegeaticus ortu.  
Non imitaberis, primæ lanuginis annis,  
Centaurus illos, nimio brutescere luxu  
Et posito certare mero, viresq; bibendo  
Mos quibus atterere est, quos præceps alea nudat,  
Quos Venus eneruat, quos & potatio pernox  
Eiecit patrijs laribus, quos vrget egestas,  
Quos enses, rixæq; iuuant, quos dedita somno  
Exercet nullis lethæa ignauia curis.  
Sed quia te stolido, secretum sanguine, vulgo  
Et DEVS & melior mens ad meliora vocabat,  
Turpe ratus patrios inter mansisse penates,  
Teutonica passim quæ præbet Phœbus in ora  
Pocula Pimplæi sumpsisti plena liquoris,

Voluere





Voluere non piguit quoniam te, P A P I N I A N V M,  
 Et Pandectarum libros, quos inter & olim  
 Grandia S E R B I D I V S de iure volumina scripsit;  
 Quò quisq; est melior, tantò flagrantior idem  
 Autorum versat monumenta operosa bonorum,  
 Post etiam, accensus famæ potioris amore,  
 Migrasti in Latium, nostro procul orbe remotum,  
 Vt grauis arte domum docta, Musisq; redires.  
 Hoc est cur aliquis patriam, charosq; propinquos  
 Deferat, & dulces studijs postponat amicos.  
 Iasone, sic quondam iuuenes Aquilone creati  
 Sponte fretum Minyæ Pegasææ puppe secarunt,  
 Vellera quos nitido iuuat radiantia villo,  
 Per dubias vndas prima petiisse carina,  
 Vidisti Ligurum populos, atq; Itala regna,  
 Agros Insubrij, spatiosas insuper vrbes  
 Lumina Bononiæ, ditisq; theatra Rauennæ,  
 Quæq; tenent Veneti munita palatia ciues,  
 Et Mutinæ, Patauiq; arces, artesq; sôphosq;  
 Quos meus, heroo plusquam mortalia spirans  
 Ingenio, sôphiæ proles K O T R I C I V S audit,  
 Quem D E U S incolumem seruet, nobisq; reducat,  
 Vt patriæ fiat lumen, columenq; suorum.  
 Est lustrata tibi Tartessus, Corduba, prisca  
 Tarraco, Vlyssippo, Numantia, Compostella,  
 Toletum, Pompeiopolis, Granata, Saguntum,  
 Burgis, Dertosa & Gallis vicina Gerunda,  
 Quasq; alias triplex H I S P A N I A continet vrbes,  
 Quasq; Tagus spectat per Lusitanica regna.  
 Pene mihi exciderat, quod primum pene referre  
 Debueram, vt legatis comes additus alti  
 Cæsaris, emporium Varadini atq; alta Cibini  
 Mœnia, Scardonam, Varnam, Petam, Segedinum,  
 Budam, præcipitiq; sitam sub monte coronam



Et CONSTANTINI pulchram iustraueris urbem,  
Cœlica, quam primum CHRISTI documenta secutam.  
Eoi Dominus Busyride sæuior, orbis,  
Ad Mahometi traduxit toxica bello.  
Illic Turcarum vidisti corpora, mores,  
Induperatorem, chiliarchas, stragula, iusus,  
Fercula, vestimenta, domus, animalia, plantas,  
Diuitias, aulæa, statuta, gynæcion, arma  
Anconas, clypeos, mucrones, acidas, enses,  
Romphœas, galeas, loricas, scuta, machæras,  
Balistas, frameas, clauas, tormenta, bipennes,  
Bombardas, Peltas, cordas, hastilia, parmas,  
Rutra, spathas, cetras, harpagonibusq; sagittas,  
Et quæcunq; solet proferre arma improbus orcus,  
Nunc, te, igitur postquam Latij è finibus, oras  
In Patrias duxit summi clementia patris,  
Accipis insignem sponsam, hanc si prisca tulissent  
Secula, non raptam fleffet Menelaus amicam,  
Et sine vi, sine cæde Phrygum Cytherea probatæ  
Soluere Priamidæ potuisset præmia formæ.  
Ergo thori, niueam felici fidere sponsam  
Suscipe lege, tibi quam cœli præses & orbis  
Condidit, & thalami castum seruauit in usum,  
Quamq; tibi iunctam, genitor spe falsus inani  
Ille tuus, quondam se cernere posse putabat,  
Quem nunc emeritæ perfunctum tempore vitæ,  
Cœlestis pars orbis habet campiq; piorum.  
Sed cur ista queror? lachrymas quæ forte latentes  
Commoueant iterum, festis gaudere diebus,  
Non lugere decet: luctus procul omnis abesto.  
At tu susceptam ( quod sancta volumina mandant  
Illius, tenui fluitans quem capsula papyro  
Seruatum, ex vndis ad summa negocia misit )  
Semper inoblita complectere mente SIBYLLAM

Quam



Quam dedit vxorem tibi lex, natura sororem,  
Parentem imperio sexus, dominamq; voluntas,  
Quam sociam vitæ tibi coniungere propinqui,  
Et genus & virtus, & forma & nubilis ætas,  
Et promissa fides, & qui tot vincula necens  
Firmius arctat amor totidem per vincula nexus.  
Quod superest oro, vobis arrideat omni  
Munere plena DEI concordia, plenus fauore,  
Et mentes sancto vestras constringat amore.  
Corda liget Pietas, teneat Patientia, firmet,  
Pax sincera animi, det prodiga lumina Candor  
Verus, ab æthereo ducens primordia fonte,  
Et comes huic semper triplicato Gratia nexu,  
Gratia & ipsa alto quæ semina ducit olympe.  
Hæc ego, ( qui geminum nomen sortitus ab illo  
Sum, qui Boiorum veniens è vallibus Anser,  
Quas necat fraudes Tarpeia pestifer arcis  
Possessor, mundum docuit, flammisq; crematus  
Albiaci aduentum cecinit moriturus oloris )  
Sponse tibi & sponsa cecini; dum rursus ad Istrum  
Fulminat indomitus regni moderator Eoi,  
Et coniuratus, cunctis è partibus, orbis,  
Nominis ad Turcæ, exitium proficiscitur illuc,  
Flumen vbi flexus sinuans septemplicis Istri,  
Nomine mutato, decliuis vndiq; ripis,  
Limosum sauum ac Drauum, infalumq; Tibiscum,  
Et patrium, simul in Pontum comitatur Alutham.  
Nunc ergo, quoniam sæuis inuictus in armis  
Ante fores prædator adest, cui nulla videbit,  
Nulla parem vidit finiti temporis ætas,  
Restat vt his, omnes, lætis, simul alta, diebus  
Numina contriti placemus pectore, votis.  
Vos, quibus in sancto Pietas sedet aurea corde,  
Sic mecum offensum CHRISTVM malcete, precantes.  
CHRISTVM



Zc 2473 OK  
CHRISTE DEVS moderare iram, moderare dolorem,  
Parce tuo populo, nec quos dignatus es orco  
Sanguine subtraxisse tuo, permitte pudendis  
Affligi exemplis, aut turpi occumbere morte,  
Sat luimus pœnas sceleris periuria nostri,  
Quicquid enim pœnæ meruerunt crimina, tetrus  
Cladibus eluimus, quos non cumulauius amnes  
Sanguine & corpore ibus freta teximus & ossibus arua &  
Oppida quot spoliata & suis viduata colonis  
Rura quotin cultis horrent squallentia dumis &  
Ister vbi Sauro crudus coniungitur. Ergo  
Opprime difficiles victu quot poscimus omnes  
CHRISTE Saracenos, bello sine fine furentes,  
Gaudentesq; malis, indulgentesq; furori,  
Vt sic translati donatæ Pacis in aulam,  
Sacratos celebrare dies, in templa frequentes  
Approperare, tibi grati, genibusq; voluti  
Pectora diuinis possimus dedere curis,  
Et benè transactæ post tristia tempora vitæ,  
Fine tibi demto sacros modularier hymnos,

*M. Iohan. Gentzsch Gr. Sittene apud Kôtricius  
Ἰημνυός & grati testificandi animi gratia F.*


### A L I V D.

**Q**ui rem quæsitam votis nanciscitur, ille  
Iure sua felix sorte vocandus erit:  
Tu modo KROSTVICI, quæsitam supplice voto  
Sponsam, quod toto pectore lator, habes,  
Acquirisq; tuo sperata βραβεῖα labori:  
Ergo tua felix sorte vocandus eris.  
Fallimur, an fausto gratandum carmine sponsis?  
Est ita, KROSTVICI gratulor ergo tibi,  
Et precor vt faustis, vobis, Fortuna quadrigis  
Affluat ad votum, tempus in omne: Sat est.

*Iohannes Hicktier Grimensis F.*

F I N I S.





QK.312

v. Ponickau X 8034

Z c  
2473

# ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ

consecratum

CLARISSIMO IUVENI, PIETATE, ERUDITIONE, SAPIENTIA, rerum multarum experientia & generis nobilitate præstantis, IOHANNI HENRICO à KROSTOWITZ, Germanicæ quondam nationis Patauicæ Consiliario dignis.

Sponso,

&

NOBILITATE STEMMATIS, PIETATE, FORMA ET MORVM ELEGANTIA ornatiss, Virginis SIBYLLÆ, nobilissimi, Doctissimi, consultissimi & omnium virtutum ornamentis excellentiss, viri ERNESTI à PONIKA, Electoralis Lipsiensis Curie præsidis laudatissimi, filiæ,

Sponsæ.

Ad XXVI. Aprilis, Anno 1596.



LIPSIÆ, Zacharias Berwald excudebat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SALE)  
1596